EXTRACTUS
Brevis & Verus,
QUO

Candidè demonſtratur Acatholicorum Prædicantium è Regno Hungariæ Proſcriptio, & Degradatio facta eſſe reſpectu Rebellionis, non autem Religionis; eoſdemque Prædicantes non in genere, ſed in ſpecie convictos, judicatos, ac legitimè condemnatos eſſe.

DEDICATUS

REGIO DELEGATO JUDICIO POSONIENSI,

Ab ejuſdem Inclyti Judicij Secretario, actorum ſingulorum conſcio, & ex officio omnibus præſenti,

TYRNAVIÆ, Menſe Martio Anno 1675.

Digitized by Google

REVERENDISSIMI, EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI, MAGNIFICI, GENEROSI,

omnibuſque titulis Ornatiſſimi Domini, Domini,&c.

MOs omnium Reorum eſt, etiam poſt acceptam mortis ſententiam, jactare innocentiam. Id nunc Prædicantes quoque Acatholici ex Hungaria proſcripti, degradatique faciunt. Illud non tolerandum, quod vicinas, remotioresque Regiones falſis omninò, meritoque redarguendis rumoribus infatuent: juſtiſſimam hanc proſcriptionem, degratio-

Digitized by Google

nem, & quorundam captivationem iniquè factam eſſe; omneque odium & invidiam Religioni, non autem Rebellioni ſuæ imputando. Quæ quam malitioſè illi crepent; quam juſtè verò, leniterque cum illis proceſſum, omnisq; ſerietas ſoli Rebellioni adſcribenda ſit; id præſens Extractus abundè docebit. Operam hanc tantò libentius præſto, quod ex nutu veſtro, votoq; meo id faciam; ceſſuram inſuper, uti firmiter ſpero, ad Religionis Catholicæ integritatem, Cæſareæ Majeſtatis authoritatem, Veſtram indemnitatem, omnium Chriſtianorum, imò & Paganorum, Principibus à Deo ordinatis fideliter ſervientium, utilitatem.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Rebellionis fundamentum ab Acatholicis Prædicantibus ortum.

RAmorum ſanctitatem è ſancta radice conjiciendam ratus Divus Paulus, Rom. 11. 16. docet nos, à nequam radice ipſam quoque nequitiam ramorum conjicere. Advertamus ergo breviter ad radicem peſtilentiſſimæ Rebellionis Hungaricæ. Anno 1664. totam Superiorem Hungariam graviſſimè perturbatum ibant Acatholici Prædicantes, ob negatam ipſis ſolutionem Annuam, pendi ſolitam à Principibus Rakoczianis, dum hi fuiſſent Acatholici; ſed poſteaquàm fidem Catholicam ſunt amplexi, penſiones illas tranſtulerunt ad Parochos Catholicos, vigore Articuli xi. Anni 1647. Quod indignè ferentes Acatholici Prædicantes, adeò Status omnes Hungariæ Superioris indigniſſimis querelis perturbârunt, ut ipſi pacatioris mentis Acatholici nonnulli dixerint: *Ecce! ecce! propter Prædicantium*

Digitized by Google

cantium Vxores ſplendidiùs ac ſumptuoſiùs veſtiendas, quanti in Regno fiunt tumultus! Ad quos demùm tumultus componendos neceſſarium fuit à Sacratiſſima Cæſarea Majeſtate, pacis publicæ ſemper amantiſſima, grandem inſtitui, & Saros-Patakinum uſque expediri Commiſſionem; coram qua dum nil poſſent jure Prædicantes evincere, ad occultiorem converſi praxim, per Primores Sectæ ſuæ cœperunt tentare Comitem Petrum Zrinium, ut ipſe apud ſuum Generum, Principem Rakoczium, ſeſe interponeret pro reſtituenda Prædicantibus penſione.

Quo autem argumento ſit perſuaſus ad hoc Zrinius, & per hunc Princeps Rakoczius, ex eo apparet: quòd cùm Princeps annuiſſet in ſolvendam deinceps annuam Prædicantibus Acatholicis penſionem; atque in compenſationem denegatæ per annos aliquot ſolutionis, eiſdem Prædicantibus millenos in ſpecie aureos numeraviſſet; exclamârit Calviniſtarum præcipuus, rerumque benè conſcius: *Hodiè viginti millia framearum accinxit ſuo lateri Princeps Rakoczius.*

En Rebellionis fundamentum! adeò verùm, ut dictus Princeps hodieque fateatur, ſe, ſuumque Socerum, impia hac animatione ab indebitis Prædicantium exactionibus orta, ad Rebellionis nefas irritatos, deluſoſque fuiſſe. At vero prudens Principiſſa Mater, futurorum præſaga, ut hanc Filij ceſſionem aliquatenùs

nùs infringeret, expedito mox nuntio ad Sacratiſſimam Cæſaream Majeſtatem, inſtitit: ne illa Principis Filij ceſſio authoritate Regia confirmaretur; eò quòd timeri poſſit, ne ex iſtatam indebitæ, ac illegitimæ penſionis extorſione, grandis Rebellio ſuboriatur; quod & factum, uti ſequens Paragraphus declarabit.

§. II.

Rebellionis incrementum à Prædicantibus Acatholicis datum.

VIdens Status Acatholicus, quoad cauſam Prædicantium in ſuas partes jam pertractum eſſe Principem Rakoczium; ejuſque facultates, & arces munitiſſimas rebellioſæ ſuæ intentioni opitulaturas exiſtimans, rem aggreditur: primò, nonnullis Magnatibus Catholicis declamando felicitatem Tranſylvanorum, qui Turcica protectione freti, jugo (ut ipſi ajebant) Germanico non ſubjacent; itaque præſtare, ut aſſignato Turcis tributo annuo, Germani ex ipſa etiam Hungaria eliminentur. Ad quod facilitandum verſutiſſimus Stephanus Wittnyedius, Nobilis Lutheranus, Comiti Franciſco Nadaſdio tunc à Conſiliis intimus, in armanda per Prædicantes Acatholicos plebe ſpem collocans, circuibat totam Hungariam; ut vehementer mirarentur inſcij moliminum nonnulli Catholici, quidnam Wittnyedius, infe-

inferioris Hungariæ Nobilis, tantoperè circumambulans per omnes ferè Comitatus, in Hungaria Superiore factitaret?

Tandem, Divina providente gratia, ne Regnum Hungariæ, totius Chriſtianitatis propugnaculum extremum, Turcis integrè cederet, viamque panderet ad vaſtandum Tyrannicè Romanum Imperium; dum Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus, ut Rex Hungariæ legitimus,

ConsILIo atqVe InDVſtrIâ trIVMphans

oppreſsâ ſubitò Rebellione illâ primâ, in læſæ Majeſtatis reos inquirit: Wittnyedius in animo malè ſibi conſcio tantoperè cœpit angi; ut mortem repente, turpiterque obiverit.

Demortuo Wittnyedio Ephebus quidam præcipui Rebellium Hungarorum Domini, ex Tranſylvania in patriam redux, idemque Prædicantis filius, & ideò conſcius quænam tractaverit cum Prædicantibus Acatholicis Wittnyedius: ſciens præterea idem Ephebus ſecretiores Wittnyedianas literas eſſe penes ſuum Dominum; ſpopondit coram tribus Inclyti Gubernij Excellentiſſimis ac Illuſtriſſimis Conſiliarijs, ſe rediturum in Tranſylvaniam, & Originales Wittnyedij literas Secretas allaturum; inductus ad hoc mille Imperialium promiſſione; datisque mox illi centum Imperialibus, profectus eſt ſtatim; & binarum, prout hic ſequuntur, copia-

copiatarum literarum Originales juxta promiſſum exhibuit; quarum cifras in aliquot phileris explanatas, Deus mirabili modo patere voluit per intimum quemdam Comitis Nadaſtij Familiarem, jam Sacræ Cæſareæ Majeſtati reconciliatum.

COPIA
PRIMARUM LITERARUM
Stephani Wittnyedi, ad Ambroſium. Keczer datarum Poſonij 30. Dec. Anno 1669.

GENEROSE DOMINE, &c.

Onnihil valetudinarius ſum. Medio tamen alterius mihi fidi amanuenſis Dom. veſtræ ſignifico. Quod ego redux X‡ (3 convenerim: Cum Solnenſi, Rayczenſi, Thuroczienſi primarijs Paſtoribus, ubivis ſeparatim contulimus negotium. Domini etiam Superintendentes ſub maximo ſecreto diſpoſuerunt Eccleſias. In Montanis Civitatibus Sapientes, beneq; doctos Seniores FZ: admonuimus, ubi primùm homo Dom. Veſtræ vel S. advenerit, in promptu ſint omnes. Ex Sileſia, Moravia, & Bohemia veri cognati noſtri, cum Prædicante Solnenſi & ſibi conterminis, ex Auſtria verò & Moravia cum transalbo-montanis Szeniczienſibus & Szobotistyenſibus correſpondent: Superior quoque

Auſtria seriò excubat. Thuralukienſem Diſtrictum, ubi optimus erit Peditatus, ejuſdem Loci Prædicans ad inſurrectionem diſponet. Poſonienſes cum Liberis iſtis Civitatibus jam ſunt diſpoſiti. Trencſinio Veſtra Dom. attendat unâ cum Diſtrictu meo Arvenſi; & ut coram contulimus, neceſſarium eſt, ut in Concionibus, ſed valdè prudenter, inſinuetur negotium: reſpectu ſaltem boni publici, & libertatis, ſit ſermo. Sopronienſes & Köſzegienſes nimiùm dependent à Spiritualibus ſuis Directoribus, & diriguntur ad eorum placitum; hi jam ſunt diſpoſiti. Ultrò-Danubialis Diſtrictus ſit mea cura. Papæ, Jaurini, Komaromii, Veſzprimij, horum Locorum Superintendentes officio ſuo ſatisfacient, uti M.N. fuſiùs ſcribit, perceptæq; ſunt literæ à Partium Superiorum Eccleſijs Helveticis undique. Quia verò populus à Spiritualibus Paſtoribus dependet, & Arca Domini præcedebat; Illi ſint ubiq; optimis modis & formis motores: Illi verbo, nos opere & gladio. DEUS nos juvabit. Wratiſlaviam & Danszkam in magna Sum̃a transmiſſum eſſe Cambium, D. Veſtra omnibus perſcribere poteſt. Gallus tardè movet; dummodò pennas ſuas mittat. Nos interim non moremur. Caſſoviam, Eperjeſſinum, Leucſoviam, cum Diſtrictu Lublovienſi D. Veſt. moveat. Ego hic non dormiam. Datum Poſonij 30. Dec. Anno 1669.

G. D. Veſtræ

Benevolus & Syncerus Servitor

Stephanus Wittnyedi de Muſay.

COPIA
SECUNDARUM LITERARUM

Stephani Wittnyedi per cifras Scriptarum ad Nicolaum Bethlem, ex Ungarico in Latinum verſarum, ac uti ex contextu apparet, Menſe Majo Anno 1669. Eperiesſini datarum.

Hodiè decimâ Maij Dominationis Veſtræ Literas Eperiesſini accepi. Sanctè concluſum eſt, ut libertates noſtras proprio Sanguine defendamus; Turcarum Imperatori tributum demus; Cum Regno Tranſylvaniæ unius cordis erimus. Rex Franciæ præſtabit tributum: per Legatum Gallicum obtulit. Quod ſi non præſtaret, ipſimet nos dabimus, modo ſit in parato. Omnes Lobkoviczij inſani Sermones non ſunt curandi, nec falſus Montecucoli. Sed valdè bonum eſſet, ſi Tranſylvaniæ Sacra Corona occultè literas ſcriberet Prædicantibus ad omnes partes, benè ut diſponerent plebem: & ad tributum; ac etiam ut arma capiat, quando ſignum dabitur. Evangelicus Status bene diſpoſuit: Trans-Danubianam terram Sopronienſibus & Köſzegienſibus præcipuis Prædicantibus commiſimus. Mon-

tanas Civitates, Poſonium, Caſſoviam, Eperjesſinum, Leucsoviam, Trencſinium, Arvam, Liptoviam, Turoczium, & reliqua, eorundem Locorum Superintendentes & Seniores parata tenent. Nos omnes pro DEO, *Eccleſia, & libertate pugnaturi & morituri: Et Papiſtas canes docebimus. Tantùm Dominationes Veſtræ non morentur cum Hajdonicalibus Oppidis & Dedititijs. Franciſcum Rakoczi terrere oportet, ſed etiam animare.* DEUS *nobiſcum; quis contra nos?*

G. D. Veſtræ

Benevolus & Syncerus Servitor

Stephanus Wittnyedi de Muſay.

HAſce binas literas originaliter coram Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Delegato Judicio productas Anno 1674. prima fronte cœperunt explodere tanquam ſuppoſititias Acatholici Prædicantes; ſed juſſi penitius inſpicere manum propriam, & Sigillum Wittnyedij, negare nequiverunt; eoque magis convicti de veritate literarum, quod earum tenori eventus reſponderint.

Nam in hiſce literis primò ſpecificatur Solnenſis Prædicans Elias Ladiner; qui ſub ipſo Arvenſis Rebellionis

nis fervore, datis ad Stephanum Pica Rebellium Anteſignanum literis, apud eundem Pica Originaliter inventis egit, ac effecit, ut plebi quidem Catholicæ reſpectus ſolùm Bonipublici ac libertatis inculcaretur (prout literæ ſonant) Sacerdotes autem incarcerarentur, &c. Quorum pœnitens dictus Pica, & in ipſo ſupplicij palo ab hæreſi Sacramentaliter abſolutus, fuit hæc omnia publicè faſſus.

Sed præter hunc eventum, qualiter etiam plures alij copiatis hiſce literis reſponderint, ex ſequentibus paragraphis patebit: ut nemo ſanæ mentis eaſdem literas in dubium revocare poſſit.

§. III.

Neceſſariò fuiſſe citandos ad Delegatum Judicium Acatholicos Prædicantes.

DElegatum Poſonienſe Judicium (quod Sacra Cæſarea Regiaque Majeſtas certis Commiſſarijs delegârat, tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis, etiam tabulæ Regiæ Aſſeſſoribus admiſſis, inter quos adfuêre ipſi quoque Acatholici) Delegatum, inquam, Judicium, habitâ Prædicantium clarâ notitiâ tanti ſceleris complicum, eos quantocyus citari fecit, examinandos ſeriò, ad tam enorme toti Chriſtianitati imminens malum in herba ſuffo-

ſuffocandum. Et quiſnam citationem hanc alius, niſi Turciſatus Chriſtianus reprobaverit? accedentibus inſuper aliundè contra Prædicantes Acatholicos coram Delegato Judicio quamplurimis, hiſce tamen imprimis accuſationibus ritè compertis.

Quod Populum contra Regiam Majeſtatem, & Poteſtatem ipſis à D*EO ordinatam animaverint, & armaverint. Quod Perſonas Regias, & Capitulares, publico intentas officio, non tantùm cum infidelitatis nota rejecerint; ſed & gravi verberatione affecerint. Judices, ac Senatores à Sacratiſſima Cæſarea Regiaque Majeſtate confirmatos deponi curaverint. Rebelles Captivos è manibus Præſidij Cæſarei eripuerint. Catholicorum infantibus, excrementa Prædicantium Acatholicorum voranda dederint. Mortem Miniſtrorum Suæ Majeſtatis, cum Rebellibus tractaverint. Frequentes correſpondentias cum Turcis, alijsque Suæ Majeſtatis compluribus inimicis habuerint. Ad extraneos Principes contra ſuam Majeſtatem legationes obiverint. Rebellibus armati ſe junxerint, eorumque ductores fuerint. Turcas in ſubſidium datâ pecuniâ ſollicitaverint. Turcis, & Rebellibus Sacerdotes vendiderint. Rebellibus patentes literas formaverint. Præter Officiales Suæ Majeſtatis, novem etiam Sacerdotes Tyrannicè trucidaverint. Fortalitium Filekkienſe Turcis obtulerint, & occupandi modum ſuggeſſerint; Divinitùs*

nitùs effectu præpedito. Jaurinum ſimiliter, & Levam, & Veſprimium, fortiſſima Chriſtianitatis propugnacula Turcis tradere tentaverint. Senicij, ac Turaluka Rebellionem excitaverint, promoverint, ac inſtruxerint; nudo tunc Sacerdote in ſpinas conjecto, ibidemque ad diffluxionem carnis volutato: ut unus tandem Prædicantium ex compasſione (uti ipſe faſſus eſt) miſerum Sacerdotem globo trajecerit. Contra domos Officialium Suæ Majeſtatis quòd incendiarios exmiſerint. Quod Sacramentum altaris in Templis Catholicis pede calcaverint, ſacra vaſa ſuſtulerint, & ex caſulis vexilla pro Rebellibus formaverint. Quod Turcis Sacras Catholicorum hoſtias tradiderint, in ſignum ſeriò perſequendi Fideles Romani Cæſaris. Quod Præſidiarios Suæ Majeſtatis trucidare intenderint, & nonnullos trucidârint. Quod infames libros contra ſuam Majeſtatem impreſſerint, & publicârint. Quod Comoromienſe fortalitium ruinare volentes, tempore, quo ventus illuc ferebat, oppidum accenderint, ducentis domibus combuſtis. &c. &c.

¶ Quis Principum Acatholicorum ſimilia vel de ſuis proprijs Prædicantibus audiens, non curaret eos citari quantocyùs, ad exploranda, avertendaque tam enormia facinora? jure igitur meritiſſimo, omni reſpectu Religionis ſepoſito, citandi erant Hungariæ Prædicantes

tes ad Delegatum Judicium; coram quo qualiter ſubſtiterint ſequens paragraphus docebit.

§. IV.

Comparentes in Judicio Prædicantes, legitimè, & in ſpecie ſunt convicti, ac condemnati ut Rebelles, non autem ut Acatholici. Vbi de tribus claſſibus Prædicantium.

FUgit impius nemine perſequente: Proverb. 28.ỷ.1. itaque vel hinc arguat candidus Lector malam cauſam Prædicantium Acatholicorum, quorum nonnulla cadavera, poſt primum Excellentiſſimi Generalis Cobb in Hungaria Superiore prælium, inter cæſos mille circiter Rebelles ubi fuiſſent reperta; alij Prædicantes malè ſibi conſcij fugerunt quam plurimi; tum in Tranſylvaniam, tum in Turciam, haud exſpectatâ citatione.

At verò citationi ſe ſiſtentes interrogati: an ſingillatim, & juridicè velint examinari, judicarique de objectis ſibi criminoſis accuſationibus; ac de multiplici Rebellionis factione Wittnyedianis literis comprehenſa? Iſtud ipſi detrectantes, cœperunt clementiam invocare: parati potiùs, ad evitandas graviores pœnas, nonnulli è Regno migrare, nonnulli privatam vitam ducere, illique Miniſterio renunciare, cujus occaſione nequaquam paſcebant Chriſtianas animas, ſed Turcicæ Tyran-

Tyrannidi ad vaſtandam Germaniam januas pandebant Hungariam Turcis ſubjicere conando, populoſque ſub prætextu curæ paſtoralis contra poteſtatem à Deo ipſis ordinatam armando. Pro ſumma itaque gratia relaxationem gravioris ſupplicij tunc agnoſcentes Acatholici Prædicantes, omnes ac ſinguli ſuſpenſionem officij, & partim emigrationem, partim privatam, ac pacificam vitam prælegerunt; copiatiſque hoc in loco Reverſalibus ſpontè ac liberè datis, manu propria ſubſcripſerunt, appoſitis ſuis ſigillis.

COPIA REVERSALIUM.

NOs infra ſcripti damus pro memoria, quibus expedit univerſis. Quod poſteaquam in nupero extraordinariorum Judiciorum huc Poſonium pro die vigeſima quinta menſis Decembris Anni 1673. proximè præteriti indictorum termino, ex allegatis, & productis liquidò compertum fuiſſet: Prædicantes tam Auguſtanæ quam Helveticæ Confeſſionis, complices eſſe fœdæ illius rebellionis, contra ſuam Majeſtatem Sacratiſſimam ſuperioribus retrò actis annis per nonnullos primarios ejuſdem Cuſores & Anteſignanos intentæ; eoſdemque Prædicantes, ac ſibi ſubjectos Capellanos, & Scholæ Rectores Miniſterijs ſuis abuſos fuiſſe; taliterque plebem curæ ipſorum paſtorali commiſſam ad tumultus & ſeditiones

nes diſpoſuiſſe ; ac alia vitam & bona eorundem perimentia temerariè intentâſſe. Ob quam complicitatem, ſiquidem ex benigno altè nominatæ ſuæ Majeſtatis Mandato, nos quoq; ſimili via ad modernum terminum pro continuatione præfatorum priorum Judiciorum extraordinariorum præfixum, ad Inſtantiam Fiſci Regij legitimè citati & evocati ; propterq; contumaciam noſtram judicialiter in totali actione Fiſci dicti Regij convicti & proſcripti eſſemus : tandem volentes vitæ, honori, bonisque, & fortunis noſtris proſpicere, ſupplices ad Excelſam Sedem hanc Delegatorio-extraordinarium confugimus ; inſtantes humillimè : quatenùs pro paterna ſua Clementia nobiſcum diſpenſare, & liberam in Regno hoc Hungariæ permanſionem, abſque ullo tamen Miniſterij ſeu Prædicantiſmi, pariter & Scholari exercitio, nobis concedere, & permittere dignaretur. Quà noſtrâ demiſsâ inſtantiâ exauditâ, ſiquidem præfata Excelſa Sedes, de conſenſu etiam dicti Fiſci Regij id ipſum nobis gratioſè concedere dignata ſit ; parteſque ſuas apud ipſam quoque ſuam Majeſtatem Sacratiſsimam pro confirmatione præmiſſorum, ſi ità neceſſum fuerit, interponere ſe nobis obtulerit : ideo in recognitionem, & recompenſam tantæ gratiæ & clementiæ, obligamus Nos per præſentes, quod amodò impoſterùm pacatè, & absq; ullo ſeditionum implicito, vel explicito molimine in Regno hoc Hungariæ permanere velimus ; nullumque penitus

tus

tus Prædicantiſmj, Scholariſque, aut alterius Eccleſiaſtici muneris noſtri exercitium, clam, vel publicè in Cathedra, privatis domibus, aut alijs quibuslibet locis, ſive illi patentes ſint, ſive reconditi, aut ſubterranei, amodò impoſterùm exercebimus: neque in directionem animarum, ſpiritualiumque officiorum noſmet ullo modo immittemus; ſed totaliter, & abſolutè renunciando Muneri & officio noſtro tam Prædicantiali, quàm & aliis Miniſteriis Eccleſiaſticis, pacatè, & fideliter, ad Normam reliquorum Suæ Majeſtatis fidelium ſubditorum, & ſæcularium hominum, noſmet geremus: nullamque prorſus cum infidelibus Suæ Majeſtatis, aut quovis modo, & prætextu ſeditionem molientibus inimicis, ſcripto, nutu, verbo aut opere correſpondentiam habebimus: quin imò quàm primùm nobis talis ſeditionis, & pernicioſorum moliminum ſpecimen qualitercunq; innotuerit, ſtatim abſq; ullo favore, timore, prœmio & complacentia, id ipſum præfato Fiſco Regio, vel verò Suæ Majeſtatis Locumtenenti, aut Supremo Comiti Comitatus illius detegere, & intimare debebimus, manebimuſque obligati.

Quod ſi autem huic obligationi, Reverſalibuſq; noſtris in parte, vel in toto ſatis non fecerimus; aut in aliquo præmiſſorum transgreſſionis puncto comperti fuerimus: ex tunc eo ipſo ſubjecti ſimus actioni, & acquiſitioni præfati Fiſci Regij; bonaq; noſtra univerſa ipſo facto confiſcentur, cum perſonarum noſtrarum detentione, &

Digitized by Google

& punitione. Harum noſtrarum literarum proprijs manuum ſubſcriptionibus, ſigillorumq; impreſſionibus communitarum vigore & teſtimonio mediante. Datum in præfata libera, ac Regia Civitate Poſonienſi, die decima tertia menſis Martij, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto.

Petrus Dimiakovicz, olim Paſtor Simonien:

M. P. (L. S.)

Martinus Nicolaides, olim Paſtor Magaſien:

M. P. (L. S.)

Singulorum nomina, brevitatis cauſa, non adſcribo; ſunt enim ducentorum triginta ſex Prædicantium, qui M. P. his Reverſalibus ſe ſubſcripſerunt, propriumque ſigillum appreſſerunt: quæ qui in Originali videre volet, libens inſpiciendi copiam faciet Inclyta

Camera

Digitized by Google

Camera Poſonienſis, ut non niſi procaciter,& calumnioſè occlametur: Prædicantes Acatholicos illegitimè, aut Religionis odio eſſe condemnatos.

Quin potiùs à Prædicantium Fautoribus ſummè deprædicanda eſſet Clementia Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis tam leniter punientis Notam infidelitatis,cujus pœna in Legibus Hungariæ ſic præſcribitur Parte 1. Tit. 16. *Per Notam infidelitatis, & caput & hæreditas, ſeu perpetuitas omnium Bonorum Juriumq; poſſeſſionariorum infidelis hominis amittitur; & nunquam hæreditas ipſorum Jurium poſſeſſionariorum ad portionem ſuam cedentium in filios, vel fratres generationales talis infidelis, aut labe infidelitatis aſperſi, obfuſcatiq;, & condemnati hominis (ſi etiam capite plecteretur) de cætero revertitur. Imò Genealogia ſua, vel generationis propago, in ignominiam contemptumq; infidelitatis (& in laudem præclaræ Virtutis illibatæ fidelitatis) quantum ad devolutionem Bonorum, à ſe perpetuò aliena efficitur.* Item Decret: S.Stephani Regis lib. 2.Cap. 51. ſic: *Siquis in Regem, aut Regnum conſpiraverit, refugium nullum habeat ad Eccleſiam. Siquis contra Regis ſalutem, aut dignitatem, quolibet modo aliquid conſpiraverit,aut conſpirare aliquid tentaverit, ſeu tentari ſcienter conſenſerit, anathematizetur; & omnium fidelium communione privetur: vel ſiquis hujuſmodi aliquem noverit, &*

pro-

probare valens non indicaverit, prædicta ſubjaceat damnationi.

Quanta ergo Sacratiſſimi Imperatoris Leopoldi Clementia! Prædicantes Acatholicos Rebellionis convictos, ſolaque Officij privatione punitos, in Regnicolarum communione privatim ac pacificè degere permittentis? Et hæc quidem prima eſto Prædicantium claſſis.

In ſecundo citatorum ordine, ex his qui ſe ſtiterant Acatholici Prædicantes, primus inter cætera ſibi objecta crimina, mox ut audijt de Lesliana Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Cohorte in Radvanez per Prædicantes morti deſtinata, ſceleris conſcius, territusque exclamavit; ſe velle fieri Catholicum: ſed reponentibus Judicibus, id non ſufficere, niſi & ſociorum revelet crimina; reſpondit liberè: *omnes, qui ſecum adeſſent Prædicantes, eſſe nequiores ſe, ideoque nil dubitare, mandata facturos Inclyti Judicij.* Dumq; primus iſte, tergiverſantibus ſocijs Prædicantibus aſſeveraret, ſe de ſingulis pejora probaturum, quam ipſe fecerit; omnes tunc & ſinguli ſe propoſitis Reverſalibus ſubſcripturos annuerunt, unà cum Calinthio, Epiſcopo Lutherano, Drabitiani libri in Sacram Cæſaream Majeſtatem calumnioſiſſimi præcipuo cooperatore; dimiſſo tamen cum ſola emigrationis & ſubſcriptionis pœna: omnibus tunc Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Cle-

Clementiam admirantibus, quod tanti peccatores non ſubderentur majoribus juxta delicta pœnis.

Et horum etiam ſubſcriptiones cum Sigillis qui ſpectare cupit originaliter; Inclytam Cameram Poſonienſem adeat: ut iterum, iterumque non niſi per ſummam injuriam dicantur judicati injuſtè, aut ex odio Religionis condemnati Prædicantes Acatholici.

Tertia tandem ſerie citati præſentarunt ſe Delegato Judicio ij Prædicantes Acatholici, qui habita ſolenni Synodo Turcicum contra fideles Suæ Majeſtatis auxilium decreverunt ſollicitandum, cum perpetua, juxta Regni articulos, infidelitatis nota; ſuntque pacti cum Budenſi Vezirio in quinquies mille talleris pendendis certò, ſi Prædicantium intentionem ſecundando, Catholicos Sacerdotes ac Officiales Regios captivaverit.

Quo facinore in effectum deducto, cùm à Prædicantibus duo duntaxat tallerorum millia Vezirius percepiſſet; emunctos per lytrum pecuniarium Sacerdotes, & Officiales dimittens, pro reſidua trium millium ſumma à Prædicantibus extorquenda, requiſivit Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Principem Diœceſanum, idem Vezirius, deſignatis locis, in quibus Prædicantes illi degerent: horumque ſeptendecim (qui partim ipſi contribuerant, partim ab alijs exegerant ſummam illam pro Chriſtianorum tradendo innocenti ſanguine Turcis tranſmiſſam) ſeptendecim inquam horum Prædicanti-

tium

tium candidè rem totam coram Delegatis Judicibus faſſi ſunt, tum de ſe, tum de alijs.

Super quod legitimè judicati, condemnatique, leviorem pœnam inſtar Prædicantium primo, ſecundoque Judicio judicatorum, acceptare noluerunt, neque Reverſalibus ſubſcribere; cauſam in ſpecie ſinguli dantes iſtam: *Quod ſuper hac re coram rebellibus non poſſent reſpondere:* per hoc propria oris faſſione teſtati, ſe majorem etiamnum reſpectum habere rebellium, quàm legitimi ſui Regis, ac Imperatoris Clementiſſimi.

Et hi ſunt, quibus quaſi innata videtur hæc tanta perfidia; nam ferè omnes iſti ſpectant ad partes Hungariæ Turcis tributarias. Et hos ſanæ mentis homo judicet dimittendos, ut continuato cum Turcis Rebellibuſq; commercio vias aperiant ad impiè vaſtandam Europæ reſiduam Chriſtianitatem? Certè ſanioris erat futurum Conſilij: nomine totius Romani Imperij Auguſtiſſimo Imperatori, & Commiſſarijs agere gratias pro Furijs hiſcè ferro conſtrictis; quàm ſuper eorum falſis querimonijs lamentari: præſertim cùm is, qui defacto in Berenczienſi exiſtit carcere (ob Turaluckenſem Sacerdotum carnificinam) Prædicans clarè moneat: *ut de omnibus incarceratis Prædicantibus meliora non ſperemus, quam quæ ipſe egit cum ſuis Complicibus.*

Non ergo cauſa Religionis, ſed Regionis innocentum ſanguine cruentatæ; ac per nefandas haſce conſpirationes

rationes adhuc gravius cruentandæ reſiduæ Europæ cauſa, Prædicantes Acatholicos in Hungaria condemnavit.

EPILOGUS.

BRevitatis causâ ſilentio præterimus Poſonienſium, ac Sopronienſium Prædicantium graviſſimas in ſpecie notas infidelitatis, fideliſſimè in Poſonienſi tabula Regia protocolatas. Ante quas Notas infidelitatis, nonnè ſumma cum libertate Acatholicis exercitijs vacabatis Prædicantes Acatholici? *Quis* ergo *vos faſcinavit; non obedire Poteſtati? Dominationem ſpernere? Majeſtatem blaſphemare? Judæ verſ. 8.*

Et hæc eſt proſcriptionis veſtræ cauſa; non autem religio veſtra, quam cæteri in Hungaria Incolæ, Auditores olim Veſtri, non ita notati, quia per vos dementati, liberè nunc etiam profitentur; imò & Senatorijs Officijs adhibentur, exiſtentes etiamnum Acatholici: quia non obſtinati, prout Vos, Mercenarij olim Paſtores; qui perfricta fronte, latâ etiam ſententiâ legitimâ, falsò adhuc vos jactatis Innocentes. Nimirum inſtar illius Prædicantis, qui *in ſerie ſecundi Judicij Delegati*, ajebat ſe paratum ad pœnam ſuſpendij, ſi læſæ Majeſtatis Reus convincatur. Quid fit? eo momento convictus, tanquam Actualis Receptator, Protectorque proſcripti Rebellis eſt; ideoque mox pacti pœnitens libentiſſimè

ſubſcripſit prænotatis Reverſalibus, pœnâ patibuli clementer ei condonatâ.

Et hæc eâ veritate ſcripſimus, quam expoſcit Scriptura. *1. Pet. 3. verſ. 15. & 16.* volens nos eſſe *paratos ad ſatisfactionem, & reddendam rationem omni poſcenti: ut in eo, quod detrahunt Nobis, confundantur qui calumniantur* Judicium noſtrum. Exſtant Prothocola, extant inſtrumenta literalia, & hæc originaliter omnia: extant rerum conſcij Regnicolæ, extat locus Judicij, extant Judices ipſi. His ſemitis veritatem indaganti patebit: voluiſſe Prædicantes Acatholicos Hungariam totam Turcis reddere ſubditam. Et quid non?

Liceat Te paucis nunc alloqui, Inclyta Germania. Hungaria, (*non ego*) Propugnaculum Tuum; &, quod dolendum, proximus tibi ardens Ucalegon Te alloquitur. An adhuc immeritò citatos, judicatos, condemnatosque cenſeas eos, qui non ſolùm ipſi noluerunt privatim & pacificè vivere; ſed inſuper, non contenti malo Patriæ, Ucalegontis flammam erant Tibi, reliquæque Europæ illaturi? Quid Tu Catholica cum Acatholicis, Acatholica cum Catholicis, Miniſterio licet Paſtoribus, re ipſa tamen ſic rebellibus egiſſes? Vix mihi perſuadeo tanta cum Clementia ullibi cum tam reis agendum fuiſſe. Felicitas hæc mea eſt, habere Regem, Cæſaremque Auſtriacum. Cave, Amica Germania, ne dum ſiniſtrè judicas Regem noſtrum, Cæſaremque Tuum; bis pecces:

con-

condemnando iniquè & Te, & Caput Tuum. Quid vetat fateri verum? Nūm pudet à veritate vinci? Nonne ſi illa victrix Tui, Tu triumphatrix erroris es? Venerare igitur mecum miram Auguſtiſſimi Cæſaris Clementiam, quam omnes, etiam condemnati Prædicantes Acatholici, qui amplius rebelles non ſunt, ſupplices adorant.

Joannes Labsanzky.

APPENDIX.

SCripſeram hæc, cum typum ſuſpendit typus alius vulgari lingua in Germania, & inde ad nos paſſim ſparſus; quo, in folio duplici vulgatus libellus ſupplex eſt ad Sac. Cæſ. Regiamque Majeſtatem, nomine ſupradictorum plus rebellibus, quam Regi ſuo juratorum Paſtorum Acatholicorum. Et quia folium hoc manifeſtè contumaciam horum Paſtorum firmat, ſi ipſorum eſt; aut ſaltem eorundem cum alijs ſibi ſimilibus correſpondentiam in malo manifeſtat: è re duxi paucas meas deſuper reflexiones annectere; facturas planè ad finem huic meo, ut opinor, neceſſario ſcripto præfixum. Miſcebo autem ſubſtantiæ accidentia dicto folio contenta; inſinuaturus potius nonnulla, quam digeſturus: certus neminem Sapientûm lecturum folium illud, quin meis plures, fors etiam graviores ſit deſuper reflexiones facturus.

Libellum vocant, vocantque *Litteras*; illum *Supplicem*, has *Querulas*: qualitercunque autem appellent, inſcribitur folium iſtud Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtati.

Finis

Finis eſt, ut ſuas, ſuorumque, quas iniquè (ſi Dijs placet) patiuntur torturas exaggerent; ſuam ut innocentiam, ſuas pro Cæſare preces, & fidelitatem crepent; Miniſtrorum Regiorum verò, Judicijque Delegati ut culpent, & in invidiam adducant ſententias, Clementiſſimumque procedendi modum; denique ut ipſam S.C. Regiamq; Majeſtatem, niſi ipſos quantocyùs liberrimos eſſe ſinat, palàm proſcindendam Europæ & Aſiæ proſtituant. &c.

Certum autem eſt imprimis, hujuſmodi libellum nullum à Paſtoribus his, (uti tamen typus prætendit) Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtati oblatum fuiſſe. Suppoſitius igitur eſt; & Authoris Rebellium Patroni, ejuſdemque valde rerum, quæ cum his aguntur, & Regionum ignari. Ubi enim in Hungaria *arx Romacom?* Qui captivi Paſtores *in Eberhardt?* Qui illi *carceres ſerpentibus, buffonibusq; pleni*, cum alijs Paſtores hi deſtinati non fuerint, quam quibus Cives, præſidiarijque milites corriguntur, quorum tamen nemo unquam de ſimilibus comilitonibus queſtus? Et quis de Paſtoribus his *fame, ſiti, frigore, morſibus animalium læſus?* quis ita malè affectus, ut ſe *mortuos in viventibus corporibus ſcribere* auſi ſint? Exaggeratio ſcilicet hæc eſt abſentium pro rebellionis ſocijs, cum vera non poſſint, falſa pro libitu promentium: Et quia mentiri determinatus rarò ſatis memor antea dictorum eſt, hinc ridicula etiam prom-

prompſerunt: ut cum in titulo folij captivos Paſtores dixerint *ſeptuaginta unum*, in fine numerent ſolùm *ſexaginta quinque*; & cum in decurſu libelli ſpecificaverint *arces ſex*, in fine *quinque* ſolùm nominent, quibus hi detineantur. &c.

Indignum deinde illud, quod folium, à ſe *Libellum* dictum, etiam *Litteras* dicere præſumpſerint. Quid? Ab his ne Litteræ ad Sac. Cæſ. Regiamque Majeſtatem? Unde? & à quo tempore hæc illis familiaritas? Audent inſuper has dicere *querulas*. Quibus de rebus? *Falsò ſe delatos, afficta q; ſibi imponi crimina* ajunt. Ita ne verò vos Rebellium Paſtorum pauciſſimi, ſed maximè rei, Reverendiſſimum, Excellentiſſimum, Illuſtriſſimum, omnibuſque titulis Ornatiſſimum Delegatum Judicium criminari? *Ad unius ſcelerati hominis ignotas litteras damnati ſumus.* Quod Wittnyedium *hominem* dicatis *ſceleratum*, acceptamus confeſſionem; litteras illius vobis fuiſſe ignotas non credimus; fuiſſe originales ejuſdem ſcimus nos, ſciveruntque complices veſtri. *At nos*, inquiunt, *innocentes ſumus.* Tunc credam, cum tam Illuſtre & Reverendum, tamque plenum Judicium, etiam ex Acatholicis conſtitutum, perſuaſeritis voluiſſe, aut potuiſſe innocentes condemnare. Plus dicam: tunc ſcilicet me vobis crediturum, cum veſtrimet olim complices vos innocentes dixerint; ſed aliter illos locutos fuiſſe ex ſupra dictis conſtat.

At

At dura nimis patimur. Qnæ illa? Jam ſupra dixi; à ſerpentibus, buffonibuſque vos morſum nullum, ac ne quidem periculum ſubijſſe. Non defuiſſe vobis cibum potumque, veſtes & pecunias, veſtrorumque amicorum conſortia & auxilia, veſtris vos paulò poſt teſtimonijs convincam. De aqua verò planè ridiculum eſt, quod aſſeritis; & à qua manifeſtè de reliquis falſitatibus veſtris judicium fiat. Quomodo ènim *nè ſemel quidem ad ſatietatem aquâ potati eſtis*, cum hæc una ſit querelarum veſtrarum, *ad aquam è puteis hauriendam vos adhibitos fuiſſe?* Quis vetuit ore bibere, quam manibus hauriebatis aquam? Ut ut ſit, dicetis nobis: *diris nimis laboribus attriti ſumus.* Falſum eſt: quia nec illa paſſi eſtis, quæ aſſeritis; nec quæ paſſi eſtis, condigna erant demeritis: quæ enim non mereantur, qui mortem meriti? Hæc enim pœna toto orbe Rebellibus ſcripta eſt.

At nos, inquiunt, *fideliſſimi & obedientiſſimi Caſ. Regiaque Majeſtatis Vaſalli ſumus.* Libet quærere: Turcicæ nè, an Auſtriacæ Majeſtatis? Eſt enim non levis ratio dubitandi de ſenſu mentis. Certe ex ore, factisq; veſtris, ac deſuper latis ſententiis Judicum merito cenſeo vos reſtrictione mentis uſos, dum hæc aut vos ſcriberetis, aut alij pro vobis. Hujuſmodi fraudem ſanè interveniſſe, dum vos *pro incolumitate Sac. Caſ. Majeſtatis, uti ſemper, inſtituiſſe preces; fideles vos eidem Majeſtati futu-*

futuros, uti ſemper, repetita æquivocatione affirmaretis; nullum omnino eſſe dubium poteſt ei, qui media primis, & prima poſtremis veſtris deſignationibus, & actionibus conferat. Scilicet: oraſſe vos pro incolumitate Cæſaris, fidelesque ei fuiſſe, falſum eſſe probatum eſt; falſum igitur quoque eſt, vos nunc orare, fidelesque eſſe: vix perſuadebitis, ut credamus aliquando futuros; ſed timendum manſuros, *uti ſemper*, rebelles.

Quæ enim, amabo, his fidelitas inſit, aut ſperari ab his queat, qui dum *Libellum* ſuum vocant *Supplicem*, *Reverſales* ab omnibus aliis complicibus pro benigniſſimis, ſummaque gratiâ habitas, atque ideo promptè libenterque ſubſcriptas, ſoli audent *iniquas, extortasq;* criminari? Qui manifeſtè licet perjuri ſint, *plus tamen roboris perſonali ſuo juramento tribui volunt*, quam, (ut ita dicam,) Contractui à Delegato Judicio ipſis conceſſo, ab ipſis in proprium bonum ſubſcribendo, ac tandem pro eorundem ſecuritate protocollando? Qui *ſe Mori malle proteſtantur, quam Reverſales admittere, ſuamq;* (ut ajunt) *conſcientiam lædere?* cujus tamen teneritudo, & remorſus alius non eſt, (uti ipſimet ſe ore ſuo convicerunt, condemnaruntque coram Delegato Judicio) quam, *quod coram Rebellibus de hac Reverſalium ſubſcriptione à ſe facienda rationem dare non poſſent.* Delicata, neceſſe eſt, ſit hæc conſcientia horum Paſtorum; tuentium ſcilicet cum pertinacia, & ſua, & ſuorum

rum

rum Complicum perjuria, & perpetuandam rebellionem.

Et his Auguſtiſſimus Cæſar det, quam poſtulant, *abſolutionem liberaliſſimam ab omnibus criminibus?* ſcilicet, ut iterum peccare liceat: *Liberum ſalvum conductum?* Ad Correbelles haud dubiè ſuos, quibus ſe magis quam Regi ſuo obſtrictos eſſe profeſſi ſunt; Cæſari verò in ſupplici ſuo, quorſum abire velint, non ſine dolo ſubticent: *Reſtitutis inſuper ſibi uxoribus, pignoribuſq; ſuis?* Quis iſta illis eripuit? quis relegavit? quis negavit licitum commercium? Liceat dicere: Nunquam Mendacium eſt ſolum; qui ſemel incepit, vix mentiri deſinet.

Claudam reflexiones has meas argumento ſanè non levi Sapientibus, quo & ſuppoſititium fuiſſe libellum hunc, & falſas fuiſſe querelas, ſatis, ut opinor, demonſtravero. Ajunt Paſtores hi, aut verius alij eorum loco: *imperio Nicolai Helion è Societate JESV Sacerdotis, duriſſimè habitos ſe Leopoldopoli, minis gravibus, ac etiam tunſionibus & preſſuris.* Nullus inibi eſt hujus nominis de Societate JESU, ut vel hinc etiam ſuppoſititium ignorantis Patroni Rebellium judicare liceat libellum hunc. Eſt tamen ibidem, (ecce, quam candidè agimus Catholici!) Pater Nicolaus Kellio; quem tamen quàm innocentem, tam Authores ſæpedicti folij calumniarum reos, faciunt ipſimet Paſtores ab his malè defenſi.

Examinati enim ſinguli Leopoldopoli commorantes Paſtores, necdum uſque adeo frontem exuiſſe deprehenſi ſunt, ut in hoc ſaltem puncto non dederint teſtimonium veritati. Sic enim illi de dicto Patre.

Quod is obtinuerit, ut ea quæ quoad victum, veſtitum, & pecuniam ab Uxoribus, & Conſanguineis mittebantur, ſecurè, juſteq; in manus venirent. Quod idem Pater à feſto S. Michaëlis anni præterlapſi, uſque ad præſentem diem 15. Febr. 1675. cibos potumque liberaliter, etiam ex proprio, captivis miſſitaverit. Quod præfatus Pater, ut captivi frequentius, & diutius cum conſanguineis colloqui, ac tractare poſſent, propriam ſæpiſſimè conceſſerit habitationem. Quod ob certam cauſam (quam licet non exprimant, conſtat tamen crimen eorum multiplex) *ipſi graviſſimè à Militibus & Vigilibus percuſſi fuiſſent, niſi Reverendus Pater Nicolaus Kellio per interceſſionem ſuam illis ſubveniſſet: cujus etiam in alijs rebus ipſi, Fratreſque ipſorum ſingularem experti fuerint benevolentiam, & humanitatem.* Ita illi; qui inſuper (quod bene notandum) hiſcè formalibus hæc ſua de dicto Patre claudunt teſtimonia: *In cujus rei teſtimonium damus noſtras has teſtimoniales propria manu ſubſcriptas, ut ſi aliquis inveniretur tam perfrictæ frontis homo, qui contrarium dicere attentaret, is tanquam Mendax, & temerarius detractor boni nominis habeatur. Leopoldopoli 15. Febr. 1675.*

Vide-